



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. I. Quid sit Prorogatio, & quotuplex?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

non commisit, remittendus sit, utpote dicta ratione cessante, ad Judicem, qui pravenit jurisdictionem. Quemadmodum si crimen committat, postquam jam factus est miles, de eo accusari coram Magistro militum potest, sicuti accusari in proprio domicilio posset, si miles non esset: cum miles censeatur habere domicilium ibi, ubi meretur stipendia. *L. Municeps §. fin. ff. ad Municipal. cit. L. Magisteria C. de Jurisdic. omn. Judic.* Baldus in *L. 3. ff. de Offic. presid. n. 3.* Barbosa *l. c. n. 170.*

## P A R S IV.

### De Foro Extraordinario.

#### CAPUT I.

##### De Foro Prorogationis.

###### §. I.

##### *Quid sit Prorogatio & quotuplex.*

###### S U M M A R I U M.

399. Ordo doctrinae servandus proponitur.  
400. Prorogatio Jurisdictionis est ejusdem extensio ad personas, causam, tempus, & locum, in quas, & quando, ac ubi, jure alias non competit, consensu partium facta.  
401. Quadruplex est Prorogatio Jurisdictionis.  
402. Judici Delegato prorogari Jurisdictio non potest à persona ad personam. Nec Judici Ordinario à tempore ad tempus.  
403. Tametsi terminus per legem non fuerit praefixus Jurisdictioni, sed solum instantiae. Et licet partes Prorogationem juramento confirmant.



399. Juxta ordinem, quem supra n. 9. servandum statui, hic de Foro Extraordinario agendum erit, postquam P. 1. de Foro in genere, P. 2. de Foro Ordinario Communi, ac P. 3. de Foro Ordinario Singularem, actum est. Extraordinarium autem Forum sortimur per *Prorogationem*, *Delegationem*, *Continentiam causarum*, ac *Reconventionem*: cum qui his modis alicubi convenitur, stet coram Judice, qui Jure ordinario proprius & suus, saltem in hac causa vel loco aut tempore, non est, sed extra ordinem assumptus. Revocari huc etiam posset Feudum: sed quia per illud Forum acquiritur non absolute ac universim, prout acquiritur modis modo enarratis, sed solum in causa feudali; idcirco de illo commodius infra P. 5. agetur, ubi exponetur, quanam causa certum Forum, & reliquis non commune habeant.

400. Igitur initium faciendo à Prorogatione Jurisdictionis, cujus materia uti latissime patet & intricata est, ut loquitur Petr. Barbosa ad L. 1. ff. de Judic. art. 1. n. 1. ita quotidiana, ut ait Marian. Socin. in C. significasti de Foro comp. n. 7. Describi Prorogatio potest, quod sit *Extensio jurisdictionis ad personas, causam, tempus & locum, in quas & quando ac ubi Jure aliam non competit, consensu earundem personarum facta*. C. P. & G. 40. de Offic. & potest. Judic. Deleg. L. 1. C. de Jurisdic. omn. Judic. L. 1. & 2. prin. & §. 1. ff. de Judic. L. si convenerit 18. ff. de Jurisdic. Dicitur *Extensio*: ut enim alicui per consensum partium tribuatur jurisdictionis, quam de Jure in ipsas, aut certe in hoc loco, vel causa, vel tempore non habet, necesse est, ut is jam antecederet & aliunde aliquam jurisdictionem habeat. Hinc prorogari non potest jurisdictionis illi, qui nullam unquam jurisdictionem habuit; aut habuit quidem, sed illa jam est finita; aut habet quidem etiamnum, sed non in hoc genere causae, ut sequente §. dicitur.

401. Quadruplex porro est Prorogatio jurisdictionis, uti patet ex ejusdem descriptione modo facta. Nam vel fit de tempore ad tempus. C. De causis 4. de Offic. & potest. Judic. Deleg. L. 2. §. *Convenire* V. sed si Judex ff. de Judic. Vel de re ad rem, seu cau-



saad causam. C. cum olim 32. de Offic. & potest. Judic. Deleg. L. De qua re §. 1. ff. de Judic. Vel de persona ad personam. C. 1. de Alienat. Judic. mut. caus. fact. L. 1. C. de Jurisdic. omn. Judic. L. 1. & 2. ff. de Judic. Vel de loco ad locum. C. statum §. In nullo de Rescript. in 6. Et licet Glossa in L. 1. C. de jurisdic. omn. Judic. & in cit. C. P. & G. V. prorogatio. ac L. 2. §. sed & si Judex ff. de Judic. triplicem tantum distinctionem ponat, omittendo prorogationem de loco ad locum, constat tamen ex cit. c. statum, etiam hanc agnoscendam esse. Nec è contrario necessaria est illa senaria divisio, quam facit Panorin. in cit. c. P. & G. n. 12. nimirum de persona ad personam, de tempore ad tempus, de loco ad locum, de causa ad causam, de re ad rem, de casu ad casum: nam non apparet, quomodo hic res & casus distinguantur à causa. Est præterea Prorogatio alia *Voluntaria*, alia *Necessaria*. Illa fit, cum partes sponte consentiunt in Judicem non suum. cit. L. 1. & 2. ff. de Judic. L. si convenerit. ff. de jurisdic. C. significasti de Foro Compet. Necessaria est, quæ fit contra invitum, qualis est Reconventio. L. si idem V. sed & si mutua. ff. de Jurisdic. Verum hæc propriè dicta Prorogatio non est. Ac idcirco eam paulò antè n. 399. cum communi DD. à Prorogatione distinxi.

402. Est autem inter dictas quatuor prorogandi rationes latum discrimen ante omnia notandum. Nam etsi Judici etiam Delegato, ut infra dicetur, prorogari jurisdic. possit de causa ad causam, loco ad locum, tempore ad tempus; non tamen fieri ei potest à persona ad personam, sed tantum Judici Ordinario, uti habetur cit. C. P. & G. in fine, & tradunt ibi Panor. Felin. ac alij Interpp. Barbosa l. c. n. 204. Menoch. consil. 240. n. 54. E contrario licet Ordinario Judici prorogari jurisdic. possit à persona ad personam, à loco ad locum, à causa ad causam: fieri tamen nequit à tempore ad tempus. Vel enim loquimur de Judice perpetuam jurisdictionem, seu ad vitam habente? Et tunc locum non habet hæc prorogatio ad tempus à tempore, quia dum jurisdictionem semper habet, opus non est prorogatione. Velloquimur de Judice temporario? Et tunc prorogatio cessat, ne

præ.



præjudicium fiat Successori, & ne partes sibi perpetuum Judicem contra Principis voluntatem constituere possint. Bald. in *L. is qui pro emptore. ff. de Usucapion.* & in *L. si quis ex consensu C. de Episc. audient. n. 8.* Felin. in *cit. C. De causis de Offic. Et potest. Judic. deleg. n. 4.* Covarr. in *C. quamvis Pactum de Pact. p. 2. §. 1. n. 4.* Paul. Castr. in *L. 2. §. proinde. ff. de Judic. n. 7.* Decius in *cit. C. de causis n. 3.* Petr. Barbosa in *L. 1. ff. de Judic. art. 2. n. 30.* cum communi aliorum, Ratio differentia est; quia Judici Delegato designatur tempus in favorem partium, cui renuntiare possunt. *L. penult. C. de Pact.* In Ordinaria verò Jurisdictione designatur tempus in publicum. *L. properandum C. de Judic.* Favori autem publico privatis conventionibus derogari non potest. *L. Jus publicum. ff. de Pactis.*

403. Quin prorogari à partibus jurisdicção Ordinario Judici nequit, etiamsi terminus per legem non sit positus jurisdictioni, sed solum instantia, ut ex *cit. L. properandum* deducunt Bart. *ibi. n. 2.* ac communis Interpretum teste Maranta *p. 2. de Ordine Judic. n. 42. v. quinta est, & p. 5. n. 24. §. 25.* ac Gutierrez *de Juramento confirmat. p. 3. c. 5. n. 5.* Quod verum est, licet partes prorogationem juramento confirmet: nam nihilominus Judex elapso termino invalidè procedet, ut post Bart. Jason. ac alios in *cit. L. properandum* cum communi tradunt Vant. *de Nullit. ex defect. Ordin. Judic. n. 127.* Covarr. *cit. n. 4.* & Alciat. in *C. cum contingat. de jurejur. n. 27. §. 28.* quia partes, uti nec pactis ita nec juramentis præjudicare possunt favori publico, & recedere à Legis dispositione ob bonum publicum principaliter lata. Opinio Gutierrez *l. c. à n. 7.* cum Imola & Felino refragantis eatenus sustineri potest, ut vi sui juramenti opponere non possint exceptionem peremptæ instantia; non verò, ut processus & sententia valeat. Non æquè facilè rejicienda videtur alia limitatio, quam faciunt idem Gutier. *l. c. n. 5.* Alexander in *cit. L. properandum*, ac communis aliorum apud Maranta *l. c. à n. 25.* asserens, posse prorogationem fieri, quoties causæ vel instantia brevior trienniò terminus



nus præfixus fuit Statuto aliquo, vel ab homine: eò quòd tunc non in favorem publicum, sed privatum litigantium præfixus censetur. Idque maximè dicendum erit, si constat, quòd etiam ipsa lex in aliqua causa terminum statuerit principaliter in favorem litigantium: qualis casus habetur in Trident. *sess. 24. c. 20. de Refor.* ubi licèt statuatur, ut causæ omnes Ecclesiasticæ, tametsi Beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinarijs locorum agitentur, ac saltem intra biennium à die litis motæ terminentur: est tamen liberum partibus coram eodem pergere, vel Superiorem adire, ut eum communi DD. tradit August. Barbosa. *in cit. c. 20. Trident.*

## §. II.

*Cui prorogari Jurisdictio possit.*

## SUMMARIUM.

404. *Jurisdictio illi tantum prorogari potest, qui jam antecederet aliquam habet.*  
 405. *Nec fieri potest prorogatio in tempus, quo Jurisdictio erit finita.*  
 406. *Nec prorogari potest nova species jurisdictionis.*  
 407. *Potest tamen fieri prorogatio à summa minore ad majorem.*  
 408. *Jurisdictio in certas causas unitantum concessa, prorogari alteri in easdem non potest.*  
 409. *Si Jurisdictio est limitata solum quoad personas, non verò quoad causas, circa has prorogatio indistinctè admittitur.*

404. Prorogationem jurisdictionis Jure communi tam Civili, quàm Ecclesiastico, permissam esse, seu posse litigantes mutuo consensu relicto Judice suo competente alium adire, eique suam causam decidendam committere, notum est ex *L. Est receptum 14. & L. si convenerit 18. ff. de Jurisdic. L. 1. §. 2. ff. de Judic. L. 1. C. de Jurisdic. omn. Judic. C. Cum olim 32. & C. P. §. G. de Offic. §. potest. Judic. deleg. C. Statum de Rescript. in 6. C. significasti 18. de Foro Compet.* Controversum duntaxat est, quibus

T. t.

bus